



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

6. Dies Januarii. Qui se sibi Magistrum constituit, stulto se discipulum
subdit. Bern. Epist. 87. ad Ogeri.
-
-

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

Januar.

Tessera.

13

in mundum, non ut esses de mundo, sed supra mundum, ut sic aliquando sis intra cœlum. Illum despice, hoc suspice, ut te olim suscipiat. Et illud altere menti imprime, frustra sum, frustra hîc vivo, frustra omnia, dum hîc dego, ago, totoque cœlo aberro à cœlo, si quid studiosius quæro, & impensis opto pro eo, quod est optabilem omnium optabilissimum, Cœlum. Procul à nobis illud pessimum pessimorum axiom : *Quæsupranos, nihil ad nos.* Imo nihil magis est nostrum, quam quod est supra nos. Tametsi angusto calle tenditur ad illa, quæ sunt sursum, pii Vatis calculo, dum ita canit :

Est iter angustum, quod dicit ad æthera sursum,

6. DIES JANUARII.

Qui se sibi Magistrum constituit, stultus se discipulum subdit. *Bern. Epist. 87. ad Ogeri.*

Opus est I.
Directore
in via per-
fectionis.

Quid refert scire, ut ordinem serves, ea esse eligenda primum, quæ dignitate sunt prima, si quæ illa sint, ignores? Ideò eligendus est Magister, sub cuius disciplinâsis in viâ vitæ, non tantum ab errore tutus, sed à metu erroris securus. Si nolis esse discipulus hominis, fies tibi ipsi magister erroris. (a) *Nulla ars sine tem-
pore discitur, & absque preceptor. Ars artium sola sine
Magistro*

(a) *S. Nilus, lib. Asce.*

Magistro percipitur? Nunquā te ē servitute vitiorum manu mittes, nisi habeas qui te ad libertatē manu ducat. Trini illi ex Oriente Reges, cū ad illū tenderent, qui est Via, habuerunt viæ ducem ē cœlo stellam. (a) *Stella antecedebat eos.* Auspiciis stellæ, ducti sunt ad Solem. Tres tibi sunt animi vires, veluti totidem Reges: non regent illæ, nisi regantur. Nec unquam eris tui rector, nisi sit tibi cautus director. Si tibi velis esse magister, cùm sis ignorans, quid disces, nisi ignorantiam? Quomodo enim sub tui magisterio aliquid scies, cùm ne id quidem scias, te nihil scire? Quæ tamen scientiæ pars est, non tantum magna, sed prima.

II. Bina te ad hujus disciplinæ capessendæ necessitatem doceant, & moveant exempla. Alterum D. Augustini; cuius hæc sunt verba: (b) *Si posses me docere, quod ignoro, libentissime te sufferrem non solum verbis increpantem, sed & verberibus castigantem.* Alterum D. Anselmi, qui dicebat: (c) *Malleum inter pueros sub virga Magistri pavere, quam toti Britanniæ in conventu populorum, Pontificali cathedra præsidere.* Tutiū est, ut discas descendere ad subsellia, quam ut doceas ascendere ad pulpita. Circa te tetra est caligo, infra te frequens vorago. Pro illa ut videoas, opus est luce; pro hac ne cadas, opus est duce. Utробique opus est directore. Nec enim caret criminis, exponere se tanto discrimini. Pericula sunt, non tantum circanos, sed intra nos. Sed majus omnium periculum est, securitas nostra: nam est omnia pericula. Quomodo potes esse securus, cùm ipse tibi sis inimi-

(a) *Matt. 2.9.* (b) *Aug. Epist. 75.* (c) *In vita ejus l.2.*

Januar.

Tessera.

IS

inimicus? Itaque nusquam non, & nunquam non periclitaris. Intrate, tu ipse tibi es hostis, extra te, totus mundus, infra te totus orcus. Tot inter, & contra hostes, tecum pugnans, & repugnans, audes sine gnaro duce sperare victoriam?

III. Is porrò, quem tibi feliges in hac disciplina Magistrum, sit talis, qui tibi plus prospicit exemplo, quam præsit imperio; qui tibi consulat, dum illum consules: qui (ut vocat D. Benedictum D. Gregorius) reddat te *(a) scienter nescientem, & sapienter doctum*: qui doceat te pauca loqui, sed multa facere; cuius conversatio, vim præcepti obtineat; cuius vita, sit vivendi norma; cuius aspectus, sit morum censura; qui sic agat, sic dicat, ut ne à Momo quidem possit reprehendi. Hujusmodi ducis auspiciis, in hac lubrica arena prælia Domini præliaberis, non tantum fortiter, ne vincaris, sed feliciter, ut vincas. At necesse est, ut illius in omnibus audias monita, sequaris consilia, exequaris imperia: & poteris sic impavidus ire inter pericula & contra pericula. Hujus prudentia, tibi erit, quæ te antecedet, stella, cuius lumine duceris in hac vita ad Bethleem, domum panis; post hanc vitam in Jerusalem, visionem pacis. E cælo affulget tibi stella, Dei gratia; in terris prælucet tibi lucerna, hominis industria. Hac geminâ luce, evades filius lucis. Nec in tenebris cæcuties, prælucente pedibus, & oculis hac lucerna. Cum teste Poëta:

Ut melius cernam, porto de nocte lucernam.

(a) Gregor. l. 2. Dial. in Præf.

7. DIES